



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 120. Foederatis addictorum, necnon Concionatorum licentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.

A.C. 1589.

§. CXX.

*Fœderatis addictorum, necnon Concionatorum licentia.*

*Thuan. l. 96. Mem. de l'Etoile l. c.* Pariter Theologi, & Concionatores suum gaudium ubique testatum reddebant, ac furorem suum apertius exerebant: in omnibus enim sermonibus Verbi Divini Præcones populo annuntiabant, quod Jacobus Clemens cum pro patria ab infelici hoc tyranno liberanda constanter mortem oppetiisset, tanquam verus Martyr deprædicari mereatur: porro alii hunc Religiosum Judithæ, Henricum vero III. Holoferni, ac denique Parisinæ Urbis incolumitatem liberationi Bethulæ comparabant: insuper decernebantur quoque publicæ preces, ut ob hanc cædem Deo solemniter grates rependerentur: institutæ etiam sunt per integram hebdomadam supplicationes, ubi ex singulis Parochiis congregati cives Ecclesiam Fratrum Prædicatorum accedebant, Clementis memoriam honoraturi, cujus quoque effigies populi venerationi exponebatur, (\*) imo quidam ex fœderatis eo infaniæ devenerunt, ut eidem in Templo Beatæ Virginis statuam erigerent: præterea sexdecim Regionum Præfecti ad omnes Concionatores mittebant schedas,

(\*) Thuanus duntaxat dixit, quod Clementis imaginem passim ostentarint.

in quibus tria eis puncta notabant, in quæ  
 suos sermones dividerent, & quidem in  
 primo Clementis facinus vindicarent, il-  
 ludque cum Judithæ generositate tanto-  
 pere in sacris literis commendata con-  
 ferrent: in secundo autem vehementer  
 in eos inveherentur, qui Navarræ Regem  
 in Henrici III. Successorem agnosci vel-  
 lent, si forte ille Sacro interesse auderet,  
 eo quod is juxta illos regis dignitatis in-  
 capax esset, cum adhuc anathemate ab Ec-  
 clesia separatus esset. Tertio denique Con-  
 cionatores in seditiosis suis sermonibus  
 Magistratus hortari jubebantur, ut contra  
 eos, qui Navarræ Regis jura tueri præsu-  
 merent, edictum promulgarent, ac mini-  
 tarentur, secundum omnem legum seve-  
 ritatem in eos animadversum iri. Porro  
 Rosa Senior Sylvanectensis Episcopus die  
 dominica, sexta Augusti juxta hæc tres  
 partes suum sermonem instruxerat, mox-  
 que circa idem argumentum plures li-  
 bellia quibusdam Theologis approbati,  
 sacrique fœderis privilegio muniti typis  
 vulgabantur; tum enim rebellionis  
 ardor tantopere animos invaserat, ut  
 Galli omnem, quem semper antehac erga  
 Reges suos exhibebant, ac sic præ ceteris  
 Nationibus in hoc sese magis celebres  
 reddebant, amoris, ac venerationis im-  
 memores essent, adeo, ut feria quinta die  
 vigesima quarta Augusti, cum regius  
 exer-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1589.

**Sæcul. XVI.** exercitus inde castra movisset, ad sancti  
**A.C. 1589.** Clodoaldi oppidum quamplurimi utrius-  
 que sexus eum locum, in quo Clemens  
 supplicio affectus est, veneraturi profici-  
 fcerentur, ac terram ejus cruore madi-  
 dam reportarent: ast dum glebas inde ex-  
 cretas in naviculam, qua domum reverti  
 parabant, imposuerunt, vento vehementi  
 suborto ea indignis hisce Reliquiis onusta  
 unacum vectoribus submersa periit, ut  
 ne unus quidem evaderet.

## §. CXXI.

*Jacobi Clementis facinus a Sixto V.  
 approbatum.*

*Thuan. l. c.  
 Davi. hist.  
 des quer.  
 civil. l. II.*

Postquam de Henrici III. Regis cæde  
 Nuntium Romam allatum est, Six-  
 tus V. die undecima Septembris habito  
 Purpuratorum Senatu orationem habuit,  
 in qua juxta indolem suam primævo na-  
 turæ vitio duram, atque imperiosam Ja-  
 cobi Clementis indolem, ac fervens erga  
 Religionem studium deprædicabat, eum-  
 que Judithæ, & Eleazaro comparabat;  
 cum adeo dominarentur præconcep-  
 tæ opiniones illis innixæ principiis,  
 quæ immodicum fidei studium fer-  
 ventibus tumultibus, ac confusione sta-  
 biliverat, priusquam eorum falsitatem  
 dignoscendi opportunitas erat, quæ ta-  
 men postea redeunte temporum  
 tranquillitate detecta est.

INDEX